

DE

1790, 12

# T V T O R E   I N C E R T O

---

EXERCITATIO   IVRIS   CIVILIS

S C R I P S I T

E T

ILLVSTRIS   IVRISCONSVLTORVM   ORDINIS  
AVCTORITATE

P R A E S I D E

D. CHRIST. GOTTL. HAVBOLDO

ANTIQUIT. IVR. PROF. PVBL. EXTRAORD

A. D. XVII. M. FEBR. A. C. CICCI

H. L. Q. CC

AD DISPVVTANDVM PROPOSVIT

CAROLVS   TRAVGOTT   HENNIG

LOEBAVIA - LVSATVS

---

L I P S I A E

E X   O F F I C I N A   S A A L B A C H I A



DE

# TATORE INGENIO

INVENTOR ET PRAESES  
ACADEMIAE VITERBIENSIS

INVENTOR ET PRAESES  
ACADEMIAE VITERBIENSIS

SCIENTIAE

ULTRATVRS INVENTORVM OLDINIS

VAGTORIATIS

TAASSIDEI

D CHRISTOOTTI HABOLDO

ANTIDIVIT. 17. 1709. LATEC. EX LIBRIS D.

A. D. XAVII. M. TEBI. A. G. CLIVOCCHIA

H. F. O. CC

AD DISPUTATIONEM PROLOGICAM

GAROTVS TRAVAGOTT HENRIC

17. 1709. LATEC. EX LIBRIS D.

VIRIS  
MAGNIFICIS CONSULTISSIMIS  
AMPLISSLIMIS  
CONSULIBVS  
SYNDICO PRAETORI  
CAMERARIIS  
NEC NON  
RELIQVIS SENATORIBVS  
INCLVTAE CIVITATIS  
BVDISSENSIS  
  
PRIMITIAS STVDIORVM  
SACRAS ESSE VOLVIT  
CAROLVS TRAVGOTT HENNIG

ALTIUS  
MAGNIFICIS CONSULATISSIMIS  
LUDVICO A MELISSIMO ET TO  
CONSULATAS  
SUNDIOO PRAESES  
CAMERARIIS  
MEC MON  
ELIOLIVIS SENATORIIS  
EXCELSORUM CIVITATIS  
DANIELIENSIS  
EXCELSORUM CIVITATIS  
SACRVS HOC SOLVS  
CAROLINENSBURG  
EXCELSORUM CIVITATIS

DE

## T V T O R E I N C E R T O

### §. I

*Ratio instituti exponitur. Tutor incertus quis?*

**Q**um nuper incidisse in Dissertationem academicam, praefide Ill. CHRISTIANO RAVIO ante aliquot annos defensam, cui titulus est: *historia iuris civilis Romanorum de personis incertis ex testamento heredibus*: visum est se mihi ultro offerre argumentum scribendi perquam opportunum, quod nec viororum doctorum, qui iuris civilis indolem et caussas ante me inuestigassent, opera exhaustum, nec ab angustis libelli academicici limitibus esset alienum. Quo diligentius enim personarum incertarum ex testamento hereditum historiam a IO. STRAVCHIO a), FRANC. CAR. CONRADI b), GREG. MAIANSIO c), et in primis Ill. RAVIO d), qui ceteris palmarum praecepit, expositam intelligebam: tanto clariorem lucem videbarum adhuc desiderare doctrinam de ultimorum voluntatum ambiguitate ea, quea *tutoris* dationem premeret; utpote quae, quod cum argumento a viris, quos laudavi, doctissimi illustrato parum vel potius plane non cohaereret, ab iisdem esset vel leuiter degustata, vel iusto silentio praeermitta. Qui ipsis quam abunde expouerint, quid in vniuersitate persona incerta sit, quiae personarum incertarum numero comprehensi olim fuerint: in sola *tutoris incerti* notione constituta initium disputationis versabitur. Quemadmodum autem, quae de personis incertis a variis auctoribus tradita sunt, singula ad tutores transferri possunt: ita in primis descriptio personae incertae, a THEOPHILO e) suppeditata, tutori incerto videtur conuenire: *Iuvantes δέ προσωπόν ἔστιν, ὅπερ ἀδήλω κρίσει ὁ τεστάτας ἔστιν ὑπέθητο, περὶ οὐ ἐρωτώμενος οὐδὲν σωφρεῖ εἰπεῖν δύναται* vel, vñ GVL. OTTO REITZIVS vertit: *incerta persona est, quam incerto iudicio testator sibi*

A 2

a) STRAVCHII Disp. *ad constitutionem de personis incertis*, rec. cura LAVR. ANDR. HAMBERGERI, Icn. 1714. 4.  
b) CONRADI Diff. *de diis heredibus ex testamento apud Romanos*, Lips. 1725. et in *Collectione Dissertationum historico antiquario iuridicarum in academis Germanicis habitarum* (Bremae, 1785. 4.), n. 5.

c) MAIANSI Disp. *de incertis legatis*, in *Ei. Disputat. iuris*, Tom. II. n. 69.

d) RAVII Diff. *land.* quae prodiit Lips. 1784.

e) THEOPHILUS §. 25. I. *de legat.* Tom. I. p. 462. ed. REITZIV.

*propositus, de qua interrogatus nihil perspicui dicere potest.* Incertus igitur tutor dicitur, quem ipse testator, dum daret, ignorauit: quare, de solo testamentario hic esse posse sermonem, vix est, ut moneamus. Incerto vero testatoris iudicio tutoris dationem vitari, non solum veteres iurisconsulti<sup>f)</sup> constanter responderunt, sed ipse adeo IVSTINIANVS<sup>g)</sup> denso confirmauit, dum ius antiquum, quamvis circa reliquias personas incertas emendatum, quod solum tutorem incertum mutare noluit. Quae igitur PAVLVS<sup>h)</sup> suo tempore scripsit: *never incertus dari non potest* (perperam enim GREG. HALOANDER & sequente committit huc transstilat: *testamento*), quaeque in parte Basiliacō*i)*, a CAR. ANNIB. FABROTTI ope ἐκλογῆς aliorumque id genus administrorum restituta, graece repetita exstant. Ἀδηλος ἐπιτρόπος ἐν διαθήκῃ οὐ διδοται, eadem vel in nouissimo iure tantum habent vilitatis, ut adequare examine non profrus indigne videantur.

## §. II

*Quofūplici modo tutor incertus esse intelligatur, ostenditur.*

Potest vero testamentaria tutela duplēcē in primis ob causam incerta esse, tum, quia de tute ipso aut plane non, aut non certo constat, tum, quoniam, cui potissimum datus sit tutor, ignoratur. Quamquam enim priore tantum sensu tutorem incertum adpellare fas est: exigit tamen et argumenti indoles, et caullarum, quas vterque modus adgnoscit, similitudo, ut etiam altera incertae tutelae species, quae magis ad pupillos recipit, simul explicetur.

Ac primum quidem ipse tutor testamento scriptus adeo incertus esse potest, vt, quis datus sit, proros ignoretur. Quod tunc potissimum fit, quem testator eiusmodi verbis ipsis est, quae tutorem ex euento, post testamentum conditum aut mortem demum futuro, qui ipsum restatorē lateat, declarent. Veluti, quem scripti: *qui cuncte primus ad esequias meas veneris, filio meo tutor esto* a); vel, *quicunque proximo anno Consul eris, filio meo tutor esto* b); vel, *Tiriui tutor esto, quo morruo tuorem esse volo, quisquis ei heres eris*; quosum etiam refero exemplum a CHRI. HENR. DE BERGER<sup>c)</sup> adlatum. Ac quamquam sub certa demonstratione, id est, ex certis personis, incertae personae recte legari, iam veteres, quibus aliquoquin legata personis incertis relata vehementer displicerent, voluerant d); veluti: *ex cognatis meis, qui nunc sunt, si quis filiam meam uxorem duxerit, ei heres meus illam rem dato*: tamen tutorem hoc modo legitime constitutum exinde negauerim, quod ne sic quidem satis certo iudicio datus videatur. Deinde, si duo sint eiusdem nominis, v. g. duo Titii, pater, et filius, quorum alterutrum testator

f) L. 20. pr. L. 23. pr. et L. 30. D. de testam. tut.

g) §. 27. I. de legat.

b) d. L. 20. pr.

d) Lib. XXXVII. tit. 2. L. 20. Tom. III. p. 828.

a) THEOPHILVS §. 27. I. de legat. p. 464.

b) §. 25. I. de legat. cf. THEOPHILVS ibid. p. 462.

c) DE BERGER Comm. de personis, vulgo larris exc. cap. 4. lect. 1. §. 38.

d) d. §. 25.

testator dederit, nec adparent, de quo senserit: neutrōm datum intelligi; PAVLVS e)  
respondit. Quae sententia etiam in heredum institutione f), ac legatorum  
libertatumque datione g) et admitione h) obtinuit. Rationem vero iuriscon-  
fultus ipse adulit, vt lolet, satis concinnam: quia non ius deficit, sed probatio, b. e.  
quia, quamvis constet de voluntate defuncti, alterutrum dandi, nec ipse forsitan testa-  
tor ignorauerit, de quo senserit, tamē, quoniam unum tantum Titium tūorem dare  
voluerit, nec adpareat, de quo cogitauerit, voluntas patris exitum habere nequit, nē  
alteruter contra patris voluntatem admittatur vel excludatur. Vnde non ius deficit,  
quomodo deficeret, si tūorem plane incertum pater dedisset, sed probatio, dum  
certo sciri non potest, quaenam sit certa illa persona, de qua sensit testator. Quam  
quidem sententiae PAVLINAЕ interpretationem, a viris doctissimis, ANT. FABRO i),  
MAIANSIO k) et IO. CANNEGISTERO l) prōpositam, quin et meana facerem, nullus  
dubitavi, ex quo similem POMPONII m) locum, in quo factum a iure eodem sensu  
distinguitur, evoluī. Ibi enim: *Servius ait, si ita scriptum sit: FILIO FILIISQUE*  
*MEIS HOSCE TVTORES DO, masculis dumtaxat tutores daros: quoniam singulari*  
*caſu hoc, filio, ad pluralem videtur tranſilie, continentem eundem sexum, quem singularis*  
*prior positus habuſſet. Sed hoc FACTI, non IVRIS, habet quaſionem: potest enim*  
*fieri, ut singulari caſu de filio ſenſerit, deinde plenius omnibus liberis proſpexiſſe in tūore*  
*dando voluerit; quod magis rationabile eſſe videtur.* Ne quis vero, vt ad exemplum a  
PAVLO adlatum redēam, coniečtūram caperet ex ordine succedenti legitimo, et  
patrem, filio cognominem, eidem praferendam eſſe censeret, si de tutela alterutri  
demandanda quereretur, iurisconfultus virumque excludi maluit: quod fuit Romanarum  
aduersus omnem ab interflato ſucceſſionem odium, vt ne accipitem quidem  
testamentariae tutelae probationem a legitimo ordine adiuuari paterentur; quemad-  
modam IO. AVERANIVS n) egregie obſeruauit. Nec obſtrat huic iuriū civilis rigor,  
quod de re duobus eiusdem nominis legata PAVLVS o) alibi tradidit, heredem sol-  
vere paratum, si ambo, qui legatum petant, eundem defendere velint, eligere de-  
bere, cui ſoluit, vt ab eo potiūm defendantur. Etenim heres, vnde ſolueret pa-  
ratuſ, alterutri, quem elegit, gratificari poruit, quoniam neutri quidquam debor, vi  
post ACCVRSIUS et aliosque aucti superioris iurisconfultus IO. IAC. WISSENBA-  
CHIVS p) et GER. NOODTIVS q) recte monuerunt. Tutoris autem nulla potest eſſe  
electio, ne, dum dubitatur, apud quem tutela eſſe debeat, res pupilli pereant: ut  
taceam, hac in cauſa neminem adelle, cui ſit facultas eligendi. Nec placet ſen-  
tia

## A 3

- e) L. 30. D. de teflam. tut.
- f) L. 62. §. 1. D. de hered. inflit.
- g) L. 10. pr. D. de reb. dub.
- b) L. 3. §. 7. D. de adim. v. tranſfer.  
legat. cf. a. L. 10. pr.
- i) FABRI Coniečt. iur. ciu. Lib. XIII. c.  
16. et Iurifpr. Papin. Tit. XIII. pr. 1. ill.  
43. pag. 728.
- k) MAIANSII Diff. laud. §. 24. Tom. II.  
P. 362.
- l) CANNEGISTERI Obſſ. miscell. c. I. adi-

- VLPIANI Fragmentis. etc. ab EODEM editis  
Pag. 377.
- m) L. 122. D. de V. S.
- n) AVERANI Interpret. iur. Lib. IIII.  
c. I. §. 16.
- o) L. 8. §. 3. D. de legat. II.
- p) WISSENBACHII Exercit. ad D. P. I.  
Diff. L. §. IX. p. m. 519.
- q) NOODTI Comment. ad tit. D. de tef-  
tut. in Opp. T. II. p. m. 424.

tia SIM A GROENEWEGEN <sup>r)</sup> , qui nostram legem a IVSTINIANO <sup>s)</sup> abrogatam esse, et utrumque Titium iure nouissimo ad tutelam admitti existimat; quum tamen nulla profus in PAVLI formula occurrat verborum disiunctio, ad quam solam Imperatoris constitutio pertinet.

Etenim si tutores duo verbis disiunctiis dati essent, vt: *Titus aut Sempronius filii meis curor esto*: propter incertum voluntatis exitum similiter iniutilem vilam esse veteribus iurisconsultis dationem, colligo e dicta IVSTINIANI decisione, quae, omni circa huiusmodi formulas altercatione composta, ad utrumque simul pertinere tutelam iussit. Quam quidem iuris nouissimi sanctionem infra diligentius explanabo.

Vlcam denique tutoris incerti speciem VPIANVS <sup>t)</sup> videtur his verbis indicare: *si quis tutorem dederit filio suo seruum, quem putabat liberum esse, quum esset seruu: is neque liber, neque tutor erit.* Quamquam enim paternas familias seruum tam suum, quam alienum, cuius statum haud ignoravit, liberis tutores dare poruit, sive libertatis conditione adscripta, sive non, utpote quae tunc tacite inesse credebatur <sup>v)</sup>: tamen, quoties testator seruum liberum esse putauit, eiusmodi error tam grauis visus est iuris ciuilis conditoribus, vt ipsam adeo tutoris dationem eo vitiare responderent.

Alter tutelae incertae modus adicit personas pupillorum, quibus tutor datus est. Quemadmodum enim, quum aliquid testamento datur, esse debet is, cui datur <sup>x)</sup>: ita quoque, vt, quorum tutelae testator prospexerit, certo constet, necesse est. Quem locum male intellexit REINH. BACHOVIVS <sup>y)</sup>, dum de hac re inaniter quaeri pronuntiavit, quum non nisi suis testamento tutor dari possit. Quamquam enim propter postumos suos, quibuscum, vii ill. RAVIVS <sup>z)</sup> in iunctis argumentis docuit, omni aeuo, et ipso adeo XII. tabb. iure, testamenti factio fuit, testamentaria tutela numquam incerta vila est, alienorum vero, quod testatori non essent sui heredes, nulla potuit esse tutela: sunt tamen aliae ambiguitatis causae, quae a parte pupillorum locum habent, et testamentariam tutelam impudent. At primam quidem, quae huic pertinet, speciem suppeditat AFRICANVS <sup>a)</sup> his verbis: *tutor ita recte non datur: ILLI AVT ILLI FILII MEIS, VTRI EORVM VOLET, TITIVS TVTOR ESTO.* Quid enim dicemus, si *Titus constitutore nolit, viri ex filiis tutor esse velit?* Quia in formula explicanda, si a solo IO. VOETIO <sup>b)</sup> discerneris, interpres non satis distinxisse videntur veteris et nouae iurisprudentiae indolem. AFRICANVS enim, cuius aeuo de vi orationis disiunctiuae in institutione, et legato, et fideicommisso, et libertate, et tutoris in primis datione inter iuris auctores nondum conuenierat, dupli ex causa negavit, posse aliquem alterutri filiorum tutorem ita dari, vt penes ipsum sit pupilli optio: tum quod ipsa verba disiunctiua incertum testatoris iudicium pro-

<sup>r)</sup> A GROENEWEGEN Tr. de LL. abrogatis, ad b. l. p. 229. sq.  
<sup>s)</sup> L. 4. C. de V. S.  
<sup>t)</sup> L. 22. D. de testam. tut.  
<sup>v)</sup> L. 10. §. 4. D. eod.  
<sup>x)</sup> L. 14. pr. D. de iure codicilli.

<sup>y)</sup> BACHOVII Comm. ad tit. I. de legar. p. 579.  
<sup>z)</sup> RAVIVI Diff. laud. §. 3.  
<sup>a)</sup> L. 23. pr. D. de testam. tut.  
<sup>b)</sup> VOETII Comm. ad tit. D. de testam. tut. §. 2.

prodere viderentur, tum quod facile fieri posset, ut tutor de optione sibi relicta quidquam constitueret nollet. Iure autem IUSTINIANEO c) prior ratio adeo cessat, vt si testator scripsisset: illi aut illi filii meis Titus tutor esto, omisso formula: viri eorum volet, utriusque filio idem tutor datus esse videatur, coniunctio aue pro et accepta; quod post IAC. CVIACIVM d), WISSENBACHIVS e) praedclare obseruauit. Altera vero ratio tantum absit, vt iuri nouissimo refragetur, ut AFRICANI autoritatib; hodie quidquam detracatum esse, aduerlus GROENEWEGENIVM f) constanter negem. Ut enim raseam, testatorem voluisse vni saltem pupilio tutorem dare, de qua voluntate ex verbis: viri eorum volet, satis constat: si constituere Titus nolit, viri ex filiis tutor esse velit, non potest dici, cui tutor datus fuerit. Neque certa est, vt CVIACII verbis vtar, pupilli persona, de qua constitutio, nisi qui velit, cogi non potest. Ac quamquam nostrar; subicit, ita recte tutorem dari: TITIVS, SI VOLET, ILLI FILIO MEO TUTOR ESTO g): tamen hac in specie certum est, et quem, et cui pater tutorem dederit, nec, si noluerit Titus, quidquam deficit, nisi conditio, sub qua institutus est. At quum, vtri velit, datus est, nec, cui velit tutor esse, constituit: non solum deficit conditio tutelae, sed etiam ab initio male ac perperam tutela data videtur, quoniam, licet possit in tutoris arbitrio conferri, an tutor esse velit, tamen in eius potestate illud ipsum, an datus sit, esse non debet. Nam satis constanter veteres decreuerunt, testariorum iura ipsa per se firma esse oportere, non ex alieno arbitrio pendere h). Quum igitur huicmodi tutelae datio non tam irrita conditione, quam portus incerto testatoris iudicio labore, arbitror, eandem esse ita vitiosam, vt ne spontanea quidem pupilli optione subsequata convalefacat. Multo minus, quod visum est CVIACIO, WISSENBACHIO et GROENEWEGENIO, tutor ita datus, pignoribus forsitan capiti, cogi poterit optare sibi pupillum alterutrum, sicut heres, a quo legatum reliquum est: illi aut illi, vtri heres vellet, cogitare alterutrum praestare solidum legatum i). Quomodo enim AFRICANVS, CELSO, qui hanc de herede ad legatum alterutri praestandum obligato sententiam primus proposuit, longe junior, querere potuisse: quid enim dicimus, si Titus constitueret nolit, vtr ex filiis tutor esse velit? si ab herede ad tutorem hac in re concludere licuisset? Adcedit, quod legati ac tutelae plane diuersa est indeo, dum illud lucro cedit, haec inter onera habetur.

Supereft locus VLPIANI k), qui duas adhuc exhibet tutelae, quoad pupillos incertae, species. Quarum prior haec est: si quis, quum ignoraret, se filium Tisium habere, filii tutores dedejet: virum his filiis dedisse videatur, quos in potestate fecit, an ei quoque, quem ignorauit, se habere? Et magis est, vt huic dedisse non videatur; licet nomen filiorum admittatur et ipsum; sed quia de ipso non sensisset: dicendum est cessare in personam eius dationem. Altera vero: proinde et, si certus fuit, filium decessisse, qui supererat, idem erit dicendum: nec enim videatur ei decisisse, quem obisse credebat. Vnde colligimus, tutelae

c) d. L. 4.

d) CVIACII Tract. VIII. ad Africanum  
p. m. 566.

e) WISSENBACHIVS L. l. §. 10. p. m.  
519.

f) A GROENEWEGEN L. l. p. 229.

g) d. L. 23. §. 1.

h) L. 32. pr. D. de hered. insit. cf.  
FABRI Infrifpr. Papin. l. l. p. 728.

i) L. 16. D. de legat. II.

k) L. 16. §. 3. et 4. D. de testam. tut.

telae dationem non pertinere ad eos liberos, de quibus testatorem non sensisse, probabile sit; quamvis alioquin et iis, quos in testamento haud nominasset, tutorem dedisse videatur, dummodo non alienum a vero sit, illum de his ipsis cogitasse. Quorum pertinent exempla, ab VLPIANO paullo ante h) proposita.

### §. III

*Origo regulae, tutorem incertum dari non posse, inuestigatur.*

Vt vero regula, qua tutor incertus dari prohibetur, a prima inde origine repetatur, ante omnia tenendum est, Romanos semper tutelam tamquam rem priuati arbitrii, ac veluti partem patrimonii et hereditatis considerasse, cuius constituendae facultas a patria potestate ac supremo patrisfamilias iudicio prorsus pendereret: quod IO. GOTTL. HEINECCIVS a) egregie demonstrauit. Auxit hanc domestici imperii efficaciam, cuius iam regum aetate memoria exstat b), Lex XII. tabb. testamentaria, quae, vii quisque paterfamilias priuato arbitrio super pecunia tutelae suae rei legasset, ita ius ratumque esse fanxit. Vnde in libris iuris antiqui nihil frequentius legitur tutelae cum hereditate comparatione, cuius indeoem et singula exempla, vt ceteros omittam, PETR. FABER c), HEINECCIVS d), ac, quem praematura morte sibi eruptum et litterae et boni omnes lugent, IO. THEOPH. SEGERVS e), adfamat adulterunt. Quemadmodum vero latissima potestas et heredis instituendi, et legata et libertates dandi, per legem XII. tabb. tributa, interpretatione coangustata est vel legum, vel auctoritate iura constituentium f): ita et tutelae datio similem experta est vicissitudinem, quamvis ceteroquin HEINECCIO g) concedam, nullum horum iuriuum integrum ad extrema reip. Rom. tempora peruenisse, quam tutelam testamentariam, in qua fere sola ius antiquum seruatum est: *vix legasse, ita ius esto.* Sunt autem, quae media iurisprudentia et iurisconsultorum solertia excoigitavit, ut fines testamentariae tutelae regerentur, haec fere: tutorem dari personae, non rei; certae rei tutorem confitiri non posse; nefas esse, tutorem habenti alium tutorem dari. Quae singula quomodo ex interpretatione legis decemuiralis deinceps sint consequuta, NOODTIVS h) et SEGERVS i) optime docuerunt. Nec aliunde arcessenda videatur nostrae in primis regulae origo, qualiter et ipsis Daumuiris praestantissimi, quos modo nominaui k), adguauerunt. Quemadmodum enim (quod LVD. CHARON-

DAE

I) d. L. 16. §. 1. et 2.

a) HEINECII Diff. de supra principum magistratuumque tutela §. 4. in EI. *Sylloge Opuscc. var.* p. 707.

b) LIVIVS Lib. I. c. 34.

c) FABRI Semestr. Lib. III. c. 24. pag. 388. sqq.

d) HEINECII Diff. Laud. §. 19. p. 722.

e) SEGERI Diff. *Historia iur. Rom. liberæ reip. de tutelis et curationibus* §. 9. in EI. *Opusculis ab III.* IO. LVD. KLÜBERO, qui

Erlangensem ornat academiam, editis Vol. I. p. 103. sqq.

f) L. 120. D. de V. S.

g) HEINECII Diff. de origine testamenti factioris et ritu testandi antiquo §. 30. l. l. p. 1003.

h) NOODTH Offic. Lib. II. c. 19. in Opp. T. I. p. m. 284. et Comm. ad tit. D. de test. tut. ibid. T. II. p. m. 424.

i) SEGERVS l. l. p. 101. sqq.

k) NOODTIVS in Comm. ad D. l. l. et SEGERVS l. l. §. 3. p. 82.

DAB<sup>1</sup>) et ANT. FABRO<sup>m</sup>) iam olim visum est) non tam ipsae leges antiquae, quam iurisconsulti potius, tamquam legum interpres, personis incertis testamenti factio-  
nem negauerunt: ita in primis ea legis testamentariae verba, quae ad tutelam per-  
tinent, sic a prudentibus accepta sunt, quasi tulissent Decemviri: *ut quisque certo  
consilio ac iudicio de tutela liberorum suorum decreverit.*

### §. III

*In causas, cur tutor invertus dari non posse, inquiritur.*

Nec defuerunt causiae grauissimae, quae adducerent iurisconsultos, ut nostram regulam excogitarent. E quibus procul dubio princeps fuit, quam Imperator ipse a), tamquam rationem, cur ius antiquum hac in re non immutauerit, reddidit: *quia certo iudicio debet quis pro tutela sua posteritati cauere.* Quem locum MAIANSIVS b)  
commodi sic accepit, qualis IVSTINIANVS dixisset: *quia permitte potest, ut quis incerto iudicio sua bona prodigat; sed non, ut incerto iudicio pupillo nocet, quam nihil magis distet a tutela, quia pupillus indiget.* Multis autem modis incertum patris de tutela iudicium posteritati nocere potest. Praeterquam enim, quod pupillus forte manet indefensus, dum v. g. tutoris petitio omittitur; vel quod, dum dubitatur, apud quem debeat esse tutela, in medio res eius facile deperirent c): potest saepenumero fieri, ut tutela defereretur homini aut ignavo, aut imprudenti, aut maligno, qui rebus impuberis pessime consular. Vnde praecitate SENECA d): *dementissime restabitur, qui tuorem filio reliquerit pupillorum spoliatorem.* Adcedit, quod ne satisficatione quidem pupillo propicii possit, si vel maxime eulimodi datio rata foret; quum tutor ita constitutus semper pro testamento habendus esset, qui ad satisfandum non compellitur. Hinc iam antiquissimis artis nostrae conditoribus placuit, quod ab VLPIANO e)  
traditum est: *nominarim tutorum dari oportere;* quo argumento etiam CVIACIVS f)  
et NOODTIVS g) ad vim regulae nostrae demonstrandam vbi sunt. Nec alia ratio subest sanctionibus, quae procuratorem h) vel arbitrum i) incertum admitti prohibent.

Altera causa ius antiquum magis, quam nouum, sapere videretur: quod scilicet cum personis incertis olim nulla esset testamenti factio; tutores autem testamento dari tantum possent hi, cum quibus esset testamenti factio k). Quae ratiocinatio, ut supra monui, videtur iurisconsultos primum adduxisse, ut, tutorem incertum recte con-

l) CHARONDAE πειθωτῶν f. verisimilium Lib. I. c. 15. f. 57.

m) FABRI Coniect. iur. ciu. Lib. VIII. c. 2.

a) d. §. 27. I. de legatis.

b) MAIANSII Diff. laud. §. 31. T. II. p. 367.

c) d. L. 4. C. de V. S.

d) SENECA de benef. Lib. IIII. c. 27.

e) VLPIANI Fragm. tit. XI. §. 14. in ANT. SCHVLTINGII Iurispr. Anteii. p. 599.

f) CVIACIVS Not. ad d. §. 27. l. de legat. p. m. 122.

g) NOODTIVS l. l. in Opp. T. II. p. m. 424.

h) L. 2. pr. D. de procurat. et defens.

i) c. 12. X. de arbitri.

k) L. 21. D. de testim. tut. cf. VLPIANUS l. l. §. 16.

constitui, negarent. Ac caussam quidem necessitudinis, quae inter testamenti factionem et tutelae suscipienda facultatem olim intercederet, si non probabilem, at speciosam tamen et magni viri ingenio dignam, SEGERVS <sup>l)</sup> suscipitur fuisse hanc, quod tum comitis calatis, testamentorum condendorum gratia habitis, tum mancipationi familiae per aes et libram, sicut heres, ita et tutor antiquitus ipse interfuerit, donec insidiae ab heredibus ac tutoribus metuenda secreta testatorum iudicia suaderent. Quae coniectura, si faltem aliquo antiquitatis testimonio niteretur, aut cum vniuersa prisci juris ratione conciliari commode posset, dici non potest, quantum lucis et nostrae regulae initii esset adlatura! Verum enim quoque equidem in hac summa monumentorum penuria concesserim, comitorum calatorum tantam olim fuisse religionem, ut ipsius tutoris praesentiam visa sint flagitare; tamen, ut eandem etiam in familiae mancipatione necessariam fuisse credam, numquam me adduci patiar, ex quo, ne ipsum quidem heredem semper interfuisse testamenti factioni, fed vicem eius obiisse familie emtorem, plerunque ab herede diuersum, ex ALB. DIET. TREKELLO <sup>m)</sup> didici. Mallem igitur ex alio fonte necessitudinem, quae fuit inter testamenti factionem et tutelae ius, deriuare. Videntur enim plerunque tutores tabulis secundis papillorum heredes esse scripti, quo arctiori vinculo fides tutelaris commodis pupillorum adligaretur. Curius quidem moris, ut veri simile est, perquam antiqui, exemplum paulo recentius, sed quod veteris instituti vestigia referat, CICERO <sup>n)</sup> praebet, dum de se ipse narrat: *T. Pinnio familiarissime me visum esse, scire te arbrior, quod quidem illi testamento declarauit, qui me cum ruzorem, tum etiam secundum heredem instituerit.* Aliud apud SVETONIUM <sup>o)</sup> exstat exemplum Galbae, qui, dum prouinciam regerer, *tutorem, quod pupillum, cui substituerus heres erat, veneno necasset, cruce adfecit.* Quomodo autem eiusmodi substitutionis formula concipi potuisset, nisi tutoris eadem fuisset, quae heredis, conditio? vel quomodo putamus tutorem dari potuisse, quem successionis spe ali, quod incertus esset, nefas visum fuisset? Noui vero iuris, quod, quamvis personis incertis testamenti factionem indulserit, tamen in tutoris datione veteris disciplinae seueritatem intactam seruauit, haec potest reddi ratio, quod in tutela non agitur de lucro aliquo, quo tutor fruatur, sed de administratione bonorum et defensione pupilli, in quibus opus est personae industria; ceu BACHOVIVS <sup>p)</sup> et ARN. VINNIUS <sup>q)</sup> dudum ostenderunt.

Vtima denique ratio latius pater, et ad omnem personarum incertarum testamenti factionem pertinet. Quam enim testamentum et origine, et indeo sua legis instar sit; lex vero animi iudicium et deliberationem requirat: iurisconsulti incertum in ultimis voluntatibus adeo adspersati sunt, vt potius, *consilium testantis certum esse debere*, pronunciauerint <sup>r)</sup>. Quae quidem testamenti cum lege comparatio mouit

FABRVM

<sup>l)</sup> SEGERVS *I. l. §. 3. p. 81. sq.*

<sup>m)</sup> TREKELLI *Tr. de origine atque progressu testamenti factionis, praesertim apud Romm. c. 3. §. 29. p. 132. sqq.*

<sup>n)</sup> CICERO *ad Diuus. Lib. XIII. ep. 61.*

<sup>o)</sup> SVETONII *v. Galbae c. 9. cf. L. 36.*  
Pr. D. de excusat.

<sup>p)</sup> BACHOVIVS *I. l. p. 579.*

<sup>q)</sup> VINNIUS *Comm. ad d. §. 27. I. de lega.*

<sup>r)</sup> YLPIANI *Fragm. tit. XXII. §. 4.*

FABRVM <sup>s)</sup> et SEGERVM <sup>t)</sup> , ut in primis ex ea nostrae regulae originem et causas repeterent. Quemadmodum igitur, quae in testamento scripta essent, neque intelligerentur, quid significarent, perinde via sunt, ac si scripta non essent v): ita nec testatoris de tute judicium, ab incerta opinione prosectorum, ratum esse potuit.

Ceterum de pupillo incerto non habeo, quod addam, siquidem omnia ex his, quae de causis, cur tutor incertus dari non possit, dicta sunt, sponte fluunt: nisi praeterea huc reserue velis, quae SCAEVOLA x) ferisplit: *quam aliquid testamento detur, esse debere, cui detur.*

### §. V

*Quaenam e regula, de tute incerto non dando, consequita sint,  
demonstratur.*

Quemadmodum autem omnes iuris antiqui regulae ac definitiones multiplicem habent et per innumera negotiorum genera sparsam virilitatem: ita et placitorum, quibus vetus iurisprudentia tutelam incertam rexistit, late pater vis et efficacia. Quam vt exemplo illustrem, quaero: vtrum tutor incertus, qui postea certus adparuerit, sit a magistrato confirmandus, nec ne? Ac quamquam confirmationis tutorum ea semper Romae fuit indoles, vt dationem in se irritam, sublatu virtu, seruaret, quodque testatoris voluntati desesse videberetur, suppleret a): tamen, quum tutorem a patre datum magistratus simpliciter, abique inquisitione aut latitudine, confirmare cogeretur b), nec ab arbitrio ipsius penderet, vellene illum confirmare, nec ne c); pessime profecte consultum fuisse salutem pupillorum, si vel huic virtu magistratus medicinam adferre, bonaque impuberum fidei incertae hominum forte leuissimorum committere potuisset. Quod a populi sapientissimi disciplina adeo alienum videtur, vt potius adridat PAVLI MONTANI d) sententia, qui, confirmatione hac in causa locum fuisse, prorsus negavit. Quodsi vero manifestis argumentis doceri possit, quem pater, dum daret, in mente habererit: tutor recte confirmabitur e), quum eiusmodi datio ne iure quidem incerta dici possit.

Nec desunt alia iura, e nostra regula paullatim consequata, quae partim legibus, partim prudentum auctoritatem debentur. Quale est illud, quod e CAIO f) et VLPPIANO g) DD. efficerunt: tutoris dationem non posse in alienum arbitrium conferri h); vel, quod ex sententia SC. Liboniani obtinet: tutorum non esse, qui se testamento

B. 2

pupillo

s) FABRI Iurispr. Papin. l. l. p. 727.

b) L. 1. §. 2. L. 3. et 6. D. de confirm. tut.

t) SEGERVS l. l. p. 82.

c) v. HEINECCI Diff. laud. § 18. p. 722.

v) L. 2. D. de his, quae pro nos script.

d) MONTANI Tr. de iure tutelarum c.

cf. L. 73. §. 3. D. de R. I.

e) L. 21. p. m. 176.

x) L. 14. pr. D. de tute codicilli.

f) e. L. 10. D. cod.

a) L. 2. C. de confirm. tut. cf. HEINECCI

Diff. de supr. principum magistratumque

tutela §. 18. et 20. l. l. p. 722. 19:

g) L. 32. pr. D. de hered. inslit.

Diffs. de supr. principum magistratumque

h) L. 43. §. 2. D. de legat. l.

i) v. MONTANVS l. l. §. 31. p. m. 178.

pupillo tutores scripsit, nisi patris declaratio adcesserit *i*). Ad quem locum quinque docte commentarii sunt *FABER k*, *IO. IAC. MASCOVIUS l* et *LEOP. ANDR. GVA- DGNIVS m*), repetita eius interpretatione ipse supercedeo.

Supereft enim quaefio subdificilis de legato, tutori incerto reliquo, quae ramen magis notio iuri, quam antiquae Romanorum disciplinae conuenit; siquidem nullum legatum perlonae incertae reliquit olim vtile fuit, nisi adiecta effet certa demonstratio, cui eventus certus postea respondisset *n*). Quum vero *IVSTINIANVS* omnia legata, personis incertis reliqua, salua esse iufferit, dummodo persona per eventum certa fieret: non inepte queritur, vtrum iure nouo tutor incertus, qui, eti postea certus adparuit, tamen iussis ex cauſis a tutela est exclusus, legatum fibi reliquit reſe petat, nec ne? Mibi quidem persuasum est, posse peti legatum, dummodo ea sit tutoris-legatarii conditio, quae in omni persona incerta requiritur, ut legato potiatur. Quamquam enim et vetus *o*) et noua *p*) iurisprudentia sanxit, legato fibi reliquo tutorem excidere huiusmodi, qui, excusatione vltis, tutelam derectet: tutor tamen incertus non tam iustum, quam necessarium potius habet excusationem, a pupilli salute profectam, quali fruitur quilibet, patrimonium eiusdem male administraturus *q*). Iam vero leges, quae tutori, excusatione vlo, legatum adscripsum denegant, non ad necessarias, sed ad voluntarias dumtaxat excusationes pertinere, locuples testis est Imperator *ANTONINVIS r*), qui Demetrio cuidam sic refribit: ab administratione tutelae religio sacramenti Marcellum, quem vobis a parte tuorem datum testamento proponitis, eripit. Quae res, quo minus legatum consequatur, non impedit. Nec enim iuste ab ea petitione repellitur; quum, etiam si vellet, tutelam administrare prohibetur. Ergo nec tutor incertus, quamvis a tutela repellatur, idem et legato excidet, quoniam dici non potest vere spurius paternum iudicium; sicut nec spurius miles, qui sacramenti religione a tutela acetur.

## §. VI

*Quando tutor incertus dici non possit, exponitur.*

Ne quis vero omnem ultimae voluntatis significationem ambiguam tutelae obesse existimet, plura prohibent exempla, iam vigilatim illuſtranda, quae *MONTANVS a*), omisſis aliis magis idoneis, praeter modum auxit. Ac primum quidem salua procul dubio

*i*) *L. 29. D. de testam. tut.*

*k) FABRI Iurifpr. Pap. tit. XIII. pr. 1. ill. 13. p. 1035. fq.*

*l) MASCOVII Diff. de bis, qui fibi adscribunt in testamento, ad explicationem SC. Libonianii (Lipſ. 1731.) Sect. II. §. 30. p. 30.*

*m) GVADAGNII Exercitationes in ius civile, Lib. I. tit. 14. §. 14. Tom. II. p. 552. T. II. p. 363 — 364.*

*o) L. 28. pr. D. de testam. tut. L. 32. et 36 pr. D. de excusat. L. 5. §. 2. D. de bis quae ut indign.*

*p) Nou. I. cap. 1. pr.*

*q) V. FABER I. I. tit. XXV. pr. 1. ill. 4. P. 1125.*

*r) L. 8. C. de legat.*

*a) MONTANVS I. I. §. 24 — 30. p. m. 177. fq.*

dubio est tutela; non tam generatim, quories viuo testatore per euentum tutor certus adparuit (hoc enim posito, iudicium testatoris non semper connualescit), sed potius, quando manifestis argumentis doceri potest, de quo *ipse testator, dum daret, senserit*. Nam hac sola ratione pater dici potest deliberato animo pupillis prospexit. Maevius igitur, vt hoc exemplo vtar, tutor non erit, quamquam testator futurum proximo post testamentum conditum anno Consulem tutorem scriperat, Maevius autem hoc anno, viuo testatore, magistratum gesserat. Quomodo enim de Maevio cogitare pater potuit? Nec sufficit ad demonstrandam testatoris sententiam quaevis coniectura, qualem aliquin veteres libenter admirerunt, ut morientium iudicia sustinerent b): sed requiruntur, vt cum *MODESTINO* c) loquar, *apertissimae probationes, ex quibus fuerit reuelatum, pro qua persona testator senserit.* Quod multis modis fieri potest, v. g. si testator tutores scripsit, qui testamentum signauerint d); vel, si, pluribus eiusdem nominis existentibus, ipse ante, aut post testamentum conditum declarauit, cuinam ex his tutelam demandare vellet; vel, si uno et pluribus Titii tam familiariter vhus est, vt neminem alium ad tutelam filiorum suorum vocare voluisse sit censendus; vel denique, si ad schedam aliquam peculiarem, in qua nomen tutoris expressum, in testamento prouocauit.

Deinde iuri nouissimo e), quod supra iam indicauit, debetur hoc, vt, si pater plures tutores disiunctiuas oratione dederit, v. c. *illum aut illum tutorem esse volo*, neuter a tutela repellatur; siquidem omnis huiusmodi personarum coniunctio *IVSTINIANO* magis visa est παραδίξευξις, i. e. disiunctio vitiosa et proinde copulationis instar, quam διάζεξις vera. Moverunt autem Imperatores, vt hinc ultimarum voluntatum ambiguitatibus lege mederetur, innumerae et admodum discordes iurisconsultorum et constitutionum adeo principalium de vi ac potestate orationis disiunctiuae sententiae, quarum singulas, incredibili studio in unum collectas, *MERRILLVS* f) exposuit. Quare non solum heredum institutionibus, et legatis, et fideicommissis, et libertariis Imperator diligenter prospexit, sed in primis quoque tutelae curam eatenuit habuit, vt, vrumque oportere tutoris officio fungi, pronunciareret; quo maior prouidentia pupillis inferatur, neue, dum dubitatur, apud quem debeat esse tutela, in medio res pupillorum depereant. Nec repugnat haec *IVSTINIANI* constitutio menti testatoris, qui, quam scriberet: *Titus aut Sempronius tutor es*, vrumque ad tutelam idoneum esse iudicauit, vrumque probauit, neminem ex iis exclusit, in omnem euentum alterutrum voluit. Igitur, vt verba *MAJANSII* g), quo nemo rem melius explicauit, mea faciam, in casu interpretationis voluntatis vterque esse debet, quia vterque testatori certo iudicio probatus est, licet inceris verbis, quae, quia menti testatoris deseruunt, secundum eam interpretanda sunt h).

Denique etiam tutor *ignotus* ab *incerto* probe est distinguendus, vt nulla sit pugna inter nostram regulam et constitutionem Diuorum Fratrum, qui, non esse admis-

## B 3

b) v. *AVERANIUS l. l.*

c) L. 62. §. 1. D. de hered. infit.

d) a. L. 14. D. de reb. dub.

e) d. L. 4. C. de V. S.

f) *MERRILLI Expositiones in L. Deciss. c.*

39. iii El. Opp. T. II. p. 110. sqq. ed. Neap.

g) *MAJANSII Diff. laud. §. 24.* T. II. p. 362.

admittendam excusationem eius, qui hoc solo viratur, quod ignorans patri pupillorum sit, rescriperunt <sup>i)</sup>; aut MODESTINVM <sup>k)</sup>, eum, qui dixerit, se ipsum ignorum esse patrem aut matrem pupilli, ea de causa liberandum esse, negantem. Intelligitur enim secundum communem DD. opinionem is, quem testator de facie haud nouerat, quales in hereditate institutione sunt IUSTINIANGI <sup>l)</sup> ii), quos numquam testator vidit: veluti si fratris filios peregrini natos, ignorans, qui essent, heredes instituerit. De quorum successione quamvis veteres non admodum honorifice senserint, vt e CICERONE <sup>m)</sup>, SVETONIO <sup>n)</sup> et PLINIO <sup>o)</sup> intelligi potest: licuit tamen semper et instituere eos <sup>p)</sup>, et donationem in eisdem conferre <sup>q)</sup>. Quidni igitur licet, et tutorem dare eum, quem, et si de facie haud noueris, tamen dignum tutelae munere iudices? Neque audiendus videtur DE BERGER <sup>r)</sup>, qui, morum tutoris cognitionem vtique ab illa notitia distinguendam esse, nec eum, cuius vel indeos adeo ignoretur, dari posse, statuit. Quis enim facile probaverit, patri, dum daret tutorem, sibi ceteroquin ignotum, eiusdem mores non suisse perspectos?

Haec quidem de causis, in quibus tutor incertus dici non possit, dicta sufficiant. Quum enim de sola aetatis impuberis tutela scribere promiserim: ea, quae HEINECIVS <sup>s)</sup> de optione tutoris, mulieri testamento mariti relicta, expofuit, tamquam aliena ab hoc loco, commode praetermitto. Vna supereft quæfio, quæm silentio praererire non possum: utrum et in testamentum militare tutelæ incertæ prohibito cadas? In qua disceptanda hoc in primis oportet animaduerti, quod MAIANSIVS <sup>t)</sup> dudum obseruauit: ea dumtaxat militi concessa esse priuilegia, quæ neque priuatis, neque publico nocere possint. Quemadmodum igitur omnino militi nihil facere licet, quo alienum ius minuat <sup>v)</sup>: ita nec libertates in fraudem legi Aelia Sentiae dare <sup>x)</sup>, nec fundum dotalium legare <sup>y)</sup>, nec capitorio modo instituere <sup>z)</sup>, nec ei, qui in aliena potestate est <sup>a)</sup>, vel liberis in potestatem recasuris <sup>b)</sup> tutorem constitueri potest. Quæ quum ita sint, et HADRIANVS insuper rescriperit <sup>c)</sup>: ne militem quidem incertæ personæ posse relinqueret (cui constitutioni doctus interpres contigit ATHANASIVS OTEYZA et OLANO <sup>d)</sup>): IUSTINIANS milites, quantum ad ultimarum voluntatum ambiguitates, paganis prorsus exaequasse, et, data quidem personas incertas instituendi potestate, minime tamen tutelam incerto eorum arbitrio permisisse videatur.

## §. VII

<sup>i)</sup> §. 10. I. de excusat. tut. v. cur.

<sup>k)</sup> L. 15. §. 14. D. cod.

<sup>l)</sup> §. vlt. I. de hered. infit.

<sup>m)</sup> CICERONIS Philipp. II. c. 16.

<sup>n)</sup> SVETONII v. Aug. c. 66.

<sup>o)</sup> PLINII Epift. Lib. X. ep. 79.

<sup>p)</sup> L. 11. C. de hered. infit. d. §. vlt. I.

<sup>q)</sup> L. 29. C. de donat.

<sup>r)</sup> DE BERGER I. l. p. 176.

<sup>s)</sup> HEINECGII Comment. ad L. Julian et Pap. Popp. Lib. II. c. 11. §. 3.

<sup>t)</sup> MAIANSII Diff. laud. §. 37—39. T. II. p. 371—375.

<sup>v)</sup> L. 28. D. de testam. mil.

<sup>x)</sup> L. 29. §. 1. eod.

<sup>y)</sup> L. 16. eod.

<sup>z)</sup> L. 11. C. eod.

<sup>a)</sup> L. 41. §. 2. D. eod.

<sup>b)</sup> L. 2. D. de testam. tut.

<sup>c)</sup> d. §. 25. I. de legat.

<sup>d)</sup> OTEYZA et OLANO Paralipomm. et Elect. iur. ciu. Lib. II. c. 10. §. 6. 7. 16. et 17. in GER. MEERMANNI Thes. iur. Tom. I. p. 457. sq.

§. VII

*Constitutio Iustiniani deperdita quatenus ad tutorem incertum pertinuisse  
videatur, ostenditur.*

Quod aliquoties monui, **IUSTINIANVM** veterem disciplinam in tutelae datione intactam serualfe, id, vt in vulgus constat, non ex ipsa eius hac de re constitutione, quaē dudum periiit, sed e loco Institutionum saepius adlatō a) innoruit. Cur vero lex **IUSTINIANI**, quam dixi, aetatem non tulerit; num ad omnes modos, quibus ultima voluntas incerta esse potest, et in primis ad omnes personas incertas pertineat; et quae hodie sit eius vis et efficacia, ipse silentio praetermitto, quod pleraque eius generis quæstiones ab hoc loco alienac, omnes autem a viris doctissimis, **CIVACIO b)**, **FRANC. RAGVELLO c)**, **BACHOVIO d)**, **SCIP. GENTILIE e)**, **VINNIO f)**, **STRAVCHIO g)**, **IO. GOTTFR. SCHAVMBVRGIO h)**, **MAIANSIO i)** et **ILL. RAVIO k)**, pridem sunt occupatae. Vnum addiciam, quod potest in vtramque partem disputari: vtrum **IUSTINIANVS** in constitutione, quam hodie desideramus, expressam tutoris incerti mentionem fecerit, et, quantum ad hunc, ius antiquum seruari, nominatum sanxerit; an dumtaxat rutorum in recensendo personis incertis, quibus testamenti factionem indulgeret, omiserit, vt ex Imperatoris silentia ad rigorem veteris iuris circa tutelam incertam immutatum concludi oportuerit? Videatur autem prior sententia esse verior, et **IUSTINIANI** sanctio ipsum tutelae ius adtigisse, tum quod in loco Institutionum, qui totus in recensendo constitutionis, quam dixi, argumento veratur, tutor incertus diserte commemoratur, tum quod **IUSTINIANO** haec fuit consuetudo, vt, si quando ius antiquum pro parte correxisset, partem eiusdem immutatam nominatum confirmaret; cuius moris exemplum praebet alia **EIVSDEM** constitutio l), ad quam supra saepe prouocau.

§. VIII

*Vetus hodiernus breuiter declaratur.*

Supereft, vt, quo iure circa tutelam incertam hodie vtramur, paucis demonſtre-  
tur. Quam igitur gentes Germanicae originis de tutela aetatis longe aliter feneſcunt,  
ac Romani, nec tam pro parte patrimonii et re priuati arbitrii eam habuerint, quam  
potius omnibus omnino magistratus id negotii dederint, vt in mores singulorum  
tutorum, aetaque eorum et gesta quam diligentissime inquirerent; id, quod **HEINEC-**  
**CIVIS**

a) d. §. 27. I. de legatis.

b) **CVIACII** Comm. ad tit. C. de incertis  
personis p. m. 630. fqq. cf. **EIVSDM**. Para-  
sitla in C. eod. p. m. 256. fq.

c) **RAGVELLI** Comm. ad Constitut. et  
Deciss. Iustiniani, quae XII. Libris Codicis  
continetur. (Parif. 1619. 4.) Lib. VI. p. 524.

d) **BACHOVIVS** I. l. p. 579.

e) **GENTILIS** Tr. de erroribus testamen-  
torum a testatoribus commissis c. 2. p. m.  
12. fqq.

f) **VINNIUS** I. I.

g) **STRAVCHII** Diff. laud. c. 1. et 4.

h) **SCHAUMBVRGII** Comm. de constitu-  
tionibus Imperatorum antiquis, iis speciam, quae in Institutionibus citantur, et in Codice  
repetitæ praelectionis omisſæ sunt, manip.  
3. obs. 7. p. 103 — 109.

i) **MAIANSII** Diff. laud. §. 31. T. II. p.

367.

k) **RAVII** Diff. laud. §. 8.

l) d. L. 4. sub fin. C. de V. S.

civis a) erudite docuit: factum est, ut omnis tutela testamentaria hodie pendeat a confirmatione magistratus, qui quenadmodum ad confirmandum tutorum testamento datum nullo iure cogi potest, ita et tutorum incertum, dummodo postea certus et idoneus adparuerit, recte confirmabit. Quare fateor, subtilitatum iuris Romani, quae ad tutelam testamentariam incertam pertinent, non magnum esse in Germania vsum, si ab interpretatione dationis disiunctiuae, aut electione tutoris in arbitriu alienum non conferenda, aut legati, tutori incerto relieti, iure discesseris; quae singula vnice ad iuris Romani normam vel hodie videntur exigenda. In Saxonia vero nostra eis eodem iure vtimur, vt tutoris optio a tertii, qui non sit testator vel magistratus, iudicio pendere nequeat b): eatenus tamen a disciplina Romana recedit sapientissimus Legislator, vi omnem tutorem, sive voluntaria, sive necessaria excusatione vsum, legato, sub lege tutelae sufficiendiæ ipsi relieto, excidere iussit c).

a) HEINECII *Diss. laud.* §. 7. fqq. l. l. *mundschafsoordnung* d. d. Dresden am 10. Octob. 1782. Cap. V. §. 4.  
p. 710. fqq.  
b) *Churfürstl. Sacch. allgemeine Vor-* c) d. *Lex pupillaris* Cap. VIII. §. 6.

V I R O  
ORNATISSIMO ET DOCTISSIMO  
CAROLO TRAVGOTT HENNIGIO  
S. P. D  
CHRIST. GOTTL. HAVBOLD

*Vt exiguum, quod pro TVA, VIR ORNATISSIME, industria reliquisti, chartae spatium in TVAM in primis memoriam a me impenderetur, non tam meus erga TE amor, qui nulla eger significatione, quam TVA portius modestia efficit, cui, ne ad ipsam libelli longitudinem confugeret, TVAque TE laude iterum defraudare, omni modo resistere decreui. Qua vna in re quenadmodum me nosti a TE semper dissensisse, ut maiorem in TE TVI fiduciam excitarem: ita specimen eruditioris, quod tuum in paginis superioribus exhibuisti, tun in proxima disputatione academicâ editurus es, certissimum ipse habebis pignus iudicij summe honorifici, quo quilibet rerum peritus TVAM et in literis communibus colendis, et in iurisprudentia in primis cognoscenda adiudicatarem prosecutur. Mihi vero, ex quo ad me adcessisti, praeceps incredibile discendi studium, ingenii quoque alacritatem, animi candorem, fidemque proruptis singulariæ adeo probasti, ut TVA coniunctione, tamquam iucundissimo viae generis, quod elegi, fructu, mirifice sim delectatus. Accipe igitur, VIR AMICISSIME, hanc epistolam futurorum, quae ducum meruisti, praemiorum augurium, deque me ita iudica, vi ego de mea erga TE voluntate sentio! Vale!*

Scribeb. in Vniuers. litter. Lipsiensi a. d. XIII. M. Febr. A. C. ccccclxxxx.

ULB Halle  
007 697 104

3



V  
D  
18





B.I.G.

3/Color

Black

White

Magenta

Red


Yellow

Farbkarte #13

Green

Cyan

Blue



DE

1790, 12

# T V T O R E   I N C E R T O

EXERCITATIO IVRIS CIVILIS

S C R I P S I T

E T

ILLVSTRIS IVRISCONSVLTORVM ORDINIS  
AVCTORITATE

P R A E S I D E

## D. CHRIST. GOTTL. HAVBOLDO

ANTIQUIT. IVR. PROF. PVBL. EXTRAORD

A. D. XVII. M. FEBR. A. C. C<sup>I</sup>CCCLXXX

H. L. Q. CC

AD DISPVLTANDVM PROPOSIT

## CAROLVS TRAVGOTT HENNIG

LOEBAVIA - LVSATVS

L I P S I A E

E X O F F I C I N A S A A L B A C H I A

